Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5735

Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

In civitate Metensi usurarius quidam defunctus, avarus nimis et cupidus, qui cum moriturus esset supplicavit uxori sue ut vel crumenam refertam denariorum iuxta se poneret in sepulchro. Quod cum illa fecisset quanto secretius potuisset, tamen latere non potuit. Accedentes igitur aliqui latenter sepulchrum aperuerunt et ecce duos bufones, unum ex ore crumene seu burse, alterum in pectore defuncti invenerunt. Ille denarios ore de crumena extrahebat, iste suscipiens extractos cordi eius immittebat. Et si dicerent: Nos pecunia saturabimus cor tuum insatiabile. Quibus visis illi timore perculsi territi recedentes fugerunt. Novicius: Quid putas animam huius pati in inferno, cum a vermibus immortalibus sic tam horrenda in eius corpore monstrata sint in sepulchro? Monachus: Non minus horrendum est quod sequitur. Exemplum ad idem de usurario.

In dyocesi Coloniensi miles quidam defunctus est, usurarius admodum nominatus et avarus. Qui cum infirmaretur, materia tandem ascendente in cerebrum factus est freneticus. Cumque cottidie dentes et os moveret, dixerunt ei ministri sui: Quid comeditis domine? Respondit: Denarios ego mastico. Visum enim ei fuerat quod demones ori eius denarios infunderent. Non possum inquit sustinere demones istos; portate me ad monasterium tale, boni illic homines sunt, forte auxilio eorum ab hiis demonibus liberabor. Quo cum delatus fuisset clamavit: Reportate me, reportate me, plures video quam in domo. Sicque miser delatus et a demonibus agitatus expiravit, quam execrabile vicium sit usura in tormentis suis ostendens. Novicius: Bene apostolus avaritiam ydolorum servitutem appellat, cum sic demones famulant. Monachus: Avaricia non solum in secularibus sed etiam in personis ecclesiasticis hodie regnat, eique famulatur. Unde inter avaros penas solvent advocati, qui modo solaria pinguia accipiunt et causas multorum subvertunt. Exemplum de decretista.

Iurista

Narravit quidam sacerdos de Saxonia quod in terra sua decretista quidam mortuus est, in cuius ore non est inventa lingua. Et merito perdidit linguam moriens, quia sepe perdiderat vivens. Recordor etiam cuiusdam verbi de huiusmodi advocatis yronice dicti. Quodam enim tempore mortui sunt nobiles terre et cum ipsis quia plurimi decretiste. Recte inquit quidam canonicus fecerunt nobiles isti quod morientes ~~isti~~ secum ducunt advocatos, istos erant enim eis necessarii. Novicius: Non enim valebit iudicio tuo domine neque consilium. Monachus: In illo examine